



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Cvrsvs Theologici ...**

Ea Brevitate Conscriptus, Qvam Tot Tantarvmqve Rervm Amplitudo Et  
Varietas Patitvr ...

Quas Secunda Secundæ Et Tertia Pars Divi Thomæ Complectitvr -  
Qvæstiones Insvper Ad Mores, & praxim spectantes, maximè circa  
Sacramenta, accuratè declarantur

**Carleton, Thomas Compton**

**Leodii, 1664**

Disputatio LXXIV. De transsubstantiatione panis & vini in Corpus &  
Sanguinem Christi.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13826**

# DISPUTATIO SEPTUAGESIMA QUARTA.

## De transsubstantiatione panis & vini in Corpus & Sanguinem Christi.

**V**ERVM Christi Corpus & Sanguinem simul cum animâ & divinitate in hoc Sacramento contineri, contra hereticos id negantes luculentissimè probat Bellarminus libro primo, secundo, tertio, & quarto de Sacramento Eucharistie, Vasquez disp. 179. Suarez quæst. 75. artic. primo, Valentia disp. 6. quæst. 3. Coninck quæst. 75. Alanus, Sanderus & alii. Hac veritas fusè declarata est supra, nunc

**L.**  
Quinam  
hoc tempo-  
re veram  
presentiam  
corporis &  
Sanguinis  
Christi in  
Eucharistia  
probent cõ-  
tra hereti-  
cos.

Probatur breviter primò ex Scripturâ, nam Matthæi 26. & Marci 14. dicit Christus: Hoc est corpus meum. Hic est sanguis meus: & addit: quod pro vobis datur, qui pro vobis effundetur; quibus verbis tanquam fulmine quodam confodiuntur heretici, licet ut eorum vim effugiant mirum sit, in quot se partes versent: unde ante aliquot annos liber prodiit, qui horum quatuor verborum: Hoc est corpus meum; ducentas diversas explicationes contineat, cum tamen constanter Patres ea de verâ & reali Christi in hoc Sacramento presentia intelligant. Idem constat ex aliis Scripturæ locis, ut Ioannis sexto: Caro mea verè est cibus: Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem in me manet & ego in illo; & similia, qua superius attulimus.

**II.**  
Ex divinâ  
Literis  
ostenditur  
Christum  
in Eucha-  
ristia verè  
ac realiter  
existere.

Definitum præterea hoc est in Concilio Lateranensi, item in Florentino & Tridentino, semperque in Ecclesiâ Catholicâ hanc doctrinam viguisse constat, & contrariam à toto Orbe ut falsam & hereticam fuisse explosam, coactusque est Berengarius illius auctor eandem publicè recantare.

**III.**  
Hac etiam  
veritas à  
variis Con-  
ciliis est  
definita.

### SECTIO PRIM A.

Vtrum hæc Transsubstantiatio in conceptu suo formali involvat actionem productivam Corporis aut Sanguinis Christi.

tione per totam. Quare cum nihil ibi dictis addendum occurrat, cõ Lectorem remitto, ut in aliis quæstionibus in Philosophiâ tractatis sæpius feci, ne actum agam & idem inutiliter repetam. Quæstionem etiam illam an idem possit secundo producere seipsum, quæ à nonnullis hoc loco tractari solet, latè discussi disputatione decimâ nonâ Physicorum, nec opus est quidquam hîc adjicere.

*hoc myste-  
rium perti-  
net, fuffissi-  
mè declara-  
ta sunt in  
Philosophiâ.*

**I.**  
Qua ad  
Transsub-  
stantiationem  
spectat, tum  
in genere,  
tunc ut ad



UÆSTIONEM tum de transsubstantiatione generatim sumptâ, tum eam ad hoc mysterium applicando, conversionem panis scilicet & vini in corpus & sanguinem Christi, fuffissimè tractavi disputatione tertîâ de genera-

R. P. Comptoni Theol. Scholast. Tom. II.



SECTIO SECUNDA.

*Qua ratione per consecrationem destruatursubstantia panis, & fiat hac conversio.*

**I.**  
*Quorundam opinio est nihil hic intervenire physicum pugnantem cum substantia panis.*

**P**ATER Coninek quaest. 75. art. 4. dubio 5. num. 160. P. Tannerus hic, quaest. 4. num. 95. & alii nonnulli asserunt nihil in hac conversione intervenire, quod ullo modo physicam repugnantiam habeat cum substantia panis, proinde totam rationem definitionis panis, reducant in voluntatem divinam, quae hic & nunc vult posito sub speciebus panis & vini corpore & sanguine Christi, destrui illorum substantiam, sicque statuunt conversionem solum moralem, quam etiam sententiam tenet Scotus in quarto, distinct. 11. quaest. 4.

**II.**  
*Per hanc sententiam totum poni videtur, quod ad veritatem verborum requiritur.*

Haec sententia forte ponit totum quod ad verificanda verba requiritur; verba enim, ut vera sint, non requirunt nisi ut Christus sub illis speciebus sit, & panis non sit, sicque erit conversio moralis, per quam dicatur panis desinere in corpore Christi, de quo plura postea: hic tamen si possit deberet inveniri repugnantia aliqua physica inter corpus Christi & substantiam panis, cum illa sit magis propria conversio, & haec à Patribus comparetur conversionibus naturalibus, in quibus semper ex conceptu suo terminus unitus dicit oppositionem physicam cum termino destructo.

**III.**  
*Suarez duplicem hic statuit actionem.*

Pater Suarez hic, disputatione 50. sectione 6. ut conformiter ad opinionem suam de conversione consistente in actione, defendat, substantiam panis desinere ex vi alicujus actionis, ponit duplicem actionem, primam productivam corporis Christi, & per hanc praecise ait non destrui substantiam panis; sicut enim corpus Christi secundum se non dicit oppositionem cum pane, ita nec actio illius productiva. Praeter hanc itaque aliam statuit actionem, per quam producat Deus in accidentibus modum per se existendi, per quem existunt, inquit, vel subsistunt accidentia independentem à suo subiecto, nempe substantiam panis, ad hujus ergo actionis positionem simul cum actione productiva corporis Christi definit, inquit, ipsa substantia panis, utpotè quae jam spoliatur suis dispositionibus, sine quibus naturaliter existere non potest.

**IV.**  
*Contra, quamvis enim substantia panis non sufficiens accidentia illa, non tamen propterea debet perire.*

Sed contra: Licet namque ponatur in accidentibus hujusmodi modus, per quem reddantur independentia à substantia panis tanquam à subiecto sustentationis, non tamen propterea spoliatur haec suis dispositionibus; disponunt enim accidentia suum subiectum, non in quantum ab eo in genere causae materialis producuntur, sed in quantum illud informant, non minus autem informant si crearentur, quam si generarentur. Si retinerent unionem informationis; nec enim minus esset ignis calidus aut aqua frigida si calor aut frigus crearentur, quam modò sunt: sicut corpus non minus denominatur animatum & vivens ab anima rationali, quam ab anima equi, vel plantae, licet haec generetur, creetur illa.

**V.**  
*Accidentia conservata concursu creativo, aequè juvare*

Confirmatur primò: Accidentia conservata concursu creativo non minus apta sunt ad juvandum substantiam in suis muneribus, quam si generarentur, unde calor non minus ageret & produceret calorem, vel etiam ignem simul cum ig-

ne, quam modò, sicut constat de facto in speciebus Eucharisticis, quae etsi conserventur sine subiecto, non minus tamen agunt, quam aliae species similes, quae adhuc insunt substantiae panis. Confirmatur secundò: Si Deus concursu creativo conservaret formam ignis, non puto quemquam dicturum debere connaturaliter perire materiam illam, eum connaturaliter maneat sub anima rationali creatà, ergo & manere potest materia, licet formae accidentales creentur, quod etiam argumentum fieri posset de ubicatione, quamvis de facto educatur ex potentia rei ubicata.

Alii propterea dicunt substantiam panis hinc desinere, quia corpus Christi elevatur ad conservandum efficienter species illas, per quam efficientiam privatur, inquit, efficienter substantia panis quibusdam conditionibus ad existendum requisitis. Sed contra: Nam praeterquam quòd non privetur illis conditionibus, ut proxime ostensum est, non sufficit ad conceptum conversionis, ut terminus ad vel in quem per modum causae efficientis dicat aliquam oppositionem cum termino qui destruitur, sed opponi illi debet aliquo modo formaliter, alioqui etiam converteretur substantia panis in Deum, cum ille etiam unà cum corpore Christi concurrat ad physicam illam specierum conservationem.

Tandem nonnulli volunt ideo substantiam panis hinc desinere, & converti in corpus Christi, quia licet substantia Christi secundum se non habeat repugnantiam cum substantia panis, habet tamen, inquit, ratione quantitatis, quae incompossibilis est cum substantia panis ratione quantitatis in eà recepta. Sed contra primò: Substantia enim & quantitas Christi in Eucharistia existunt modo spirituali, & non faciunt molem, & consequenter non habent hoc titulo repugnantiam vel cum substantia, vel quantitate panis, cum existant penetrabiliter, non impenetrabiliter. Contra secundò: Si enim ratione quantitatis haberet repugnantiam corpus Christi cum substantia panis, maxime quia habet repugnantiam cum quantitate, de facto tamen stat penetratum cum panis quantitate, ergo nihil est hic quod petat destructionem substantiae panis, cum desinere hoc titulo non deberet, nisi ad destructionem quantitatis, quae tamen hic non destruitur.

Omissis ergo variis aliorum dicendi modis existimo cum P. Monacho, & Albertino, quod etiam multi tenent ex Recentioribus, ideo desinere hic substantiam panis, quia corpus Christi unitur speciebus panis, ita ut haec illud contineant, & demonstrent, illisque motis moveatur illud; cum ergo accidentia ob suam limitationem habeant, quòd unam tantum substantiam continege hoc modo, & quasi vestire possint, sicut forma substantialis ob eandem limitationem non potest nisi unum subiectum simul informare, vel materia unà formam informari, sicut sequitur, ipso facto quod nova forma uniat materiae, debere priorem cedere, ita & hic contingit respectu substantiae panis & vini postea unione corporis & sanguinis Christi cum speciebus.

Dices: Unio haec est supernaturalis, ergo non petet destructionem substantiae panis, cum non petat deunionem accidentium ab illa; unio enim supernaturalis non repugnat in eodem subiecto unioni naturali, sicut nec habitus supernaturalis temperantiae habet in eadem anima repugnantiam

*possunt substantiam in suis muneribus, quam conservata concursu creativo.*

**VI.**  
*Dicitur alii ideo hic desinere substantiam panis, quia corpus Christi elevatur ad species illas efficienter conservandas.*

**VII.**  
*Nonnulli volunt substantiam panis opponi corpori Christi ratione quantitatis.*

**VIII.**  
*Vera ratio est substantia panis desinat, est, quòd corpus Christi ita uniat accidentibus panis, ut haec illud contineant, ac demonstrent.*

**IX.**  
*Obiicit, panis corpus Christi cum speciebus est supernaturalis, ergo*



non repugnat unioni naturali accidentis in eum substantia panis.

X. Respondetur primo, hanc unionem fore non esse in entitate supernaturali.

nantiam cum habitu naturali intemperantiae, cum qui intemperanter diu vixit, & postea resipiscit, & recipit gratiam quam habitus omnes supernaturales comitantur, non minus se proclivem sentiat ad actus intemperantiae, quam antea.

Respondetur, in primis fortè hanc unionem non esse in entitate supernaturalem; quod enim non possit produci ab ullo agente naturali non sequitur esse entitativè supernaturalem, sicut nec actio creativa qua hæc accidentia conservantur sine subjecto, potest secundùm communem sententiam poni ab ullo agente naturali, & tamen non est in entitate supernaturalis. Deinde dicunt nonnulli probabiliter, res aliquas supernaturales dici & repugnantiam cum naturalibus; aiunt enim actum supernaturalem, saltem valde intensum alicujus virtutis non posse stare cum actu naturali ejusdem virtutis, cum infirmi dicant totam vim potentiae, & animæ attentionem in viâ per actum illum supernaturalem, quod tamen est alterius loci.

SECTIO TERTIA.

Inferuntur varia circa modum Eucharistiae Sacramentum conficiendi.

I. Fide certum est Eucharistia Sacramentum per veram conversionem substantia panis & vini in corpus Christi confici.

Hinc infero, secundùm fidem asserendum esse, Sacramentum Eucharistiae confici per veram conversionem substantiae panis & vini in corpus & sanguinem Christi: ita enim docet Concilium Florentinum in decreto ad Armenos his verbis: *Substantia panis in corpus, substantia vini in sanguinem convertitur.* Idem latius definitur in Concilio Tridentino sessione decimâ tertiâ, capite quarto, & communis videtur Patrum consensus, qui licet voce conversionis omnes non utantur, verbis tamen æquivalentibus rem declarant.

II. Hoc ex ipsis Christi verbis inferitur.

Imò conversionem hanc ex ipsis Christi verbis inferri tenendum est, quod expressè habetur in Tridentino, loco proximè citato: *Quoniam, inquit, Christus corpus suum id quod sub speciebus panis offerebat, verè esse dixit, ideo persuasum semper in Ecclesiâ versuit, id, nunc denuò Sancta Synodus declarat, per consecrationem panis & vini conversionem fieri totius substantia panis in substantiam corporis Domini nostri, & totius substantia vini in substantiam sanguinis eius.* Quare minus cavè asserit Scotus non aliunde quam ex Ecclesiae definitione haberi, hic intercedere conversionem, cum tamen Concilium doceat haberi ex verbis Christi.

III. Hac conversione est vera transsubstantiatio.

Tandem hæc conversio est vera transsubstantiatio, quod habetur in Concilio Lateranensi sub Innocentio tertio, canone primo, & clariùs in Tridentino capite quarto, & canone secundo, ubi docet hanc conversionem aptissimè à Catholica Ecclesiâ transsubstantiationem appellari, per quod verbum intelligunt Patres transitum seu definitionem totius substantiae panis & vini in corpus & sanguinem Christi.

IV. Frustra hæretici in novam transsubstantiationem invocantur.

Frustra ergo hæretici nostri temporis in hanc vocem invehantur, eamque novam, barbaram, & portentosam appellant, cum aptissimè rem explicet, semperque apud Scriptores omnes tam Ecclesiasticos, quam profanos mos fuerit, rebus novis nova nomina aptare; sic enim inventum est vocabulum *ουροborος*, seu consubstantialis, & filio aptatum in divinis, nomen *θιολογος*, seu Dei.

R. P. Comptoni Theol. Scholast. Tom. II.

para, Trinitas, Incarnatio, & alia hujusmodi.

Ex his sequitur, non manere in Eucharistia materiam panis, unitam animæ Christi, ut volebat Durandus, quod non tantum est contra Concilium definiens converti totam substantiam panis in corpus Christi, & totam substantiam vini in sanguinem, solaque manere accidentia, sed ulterius sequeretur non esse idem corpus in Eucharistia & in cælo, nec esse illud corpus in Eucharistia, quod pro nobis morti traditum est, contra verba Christi.

Deinde, divisa hostia periret aliquid de corpore Christi, & illius anima desineret informare id quod antea informabat, sicque corrupta hostia corrumpere corpus Christi, & ex illo generarentur vermes, quæ licet non censeat Durandus esse incommoda, parum tamen sunt dignitati Christi consentanea. Quare hæc sententia Durandi à nonnullis censetur error in fide, à nonnullis etiam hæretica.

Sequitur ulterius non manere in Eucharistia rationem aliquam entis vel substantiae, quæ antea erat in pane, quæ sententia tribuitur Cæcetano. Probatur: Nam ratio entis & substantiae non distinguitur à ratione specificâ panis, ergo hæc destructa non potest manere illa. Deinde implicat rationem aliquam quæ identificatur cum pane, postea identificari cum corpore Christi, quod tamen videtur velle hæc sententia, tandem non potest stare cum definitione Tridentini asserentis totam substantiam panis converti in corpus Christi, & totam substantiam vini in sanguinem.

Sequitur etiam non manere post consecrationem subsistentiam panis; quamvis enim distinguatur realiter à panis substantia, non tamen est accidens, Concilium autem definit post verba consecrationis prolata, non manere quidquam de pane, nisi tantum accidentia, ut habetur expressè in Tridentino sessione decimâ tertiâ, canone secundo.

Præterea sequitur contra nonnullos Thomistas, inter quos præcipuus est Bannez, non manere in Eucharistia existentiam panis. Hæc sententia, ut omitam rationes philosophicas, quibus ostenditur existentiam non distingui ab essentia, ex quo capite satis refellitur, impugnatur argumento Theologico; sequeretur enim contra definitionem Concilii, non manere in Eucharistia dumtaxat accidentia panis; existentia enim substantiae, esto ab eâ distinguatur, tamen secundùm ipsos Thomistas non est accidens; ergo non manerent sola accidentia panis.

Ex his à fortiori sequitur contra Lutherum, & alios nostri temporis hæreticos, non manere in Eucharistia simul cum corpore Christi substantiam panis, & substantiam vini cum sanguine, quibus facem hæc in parte prætulit Berengarius, qui postquam in quibusdam Conciliis coactus fuisset hæresim, qua Christi in Eucharistia præsentiam negabat, recantare, in aliam incidit, nempe simul cum Christo esse ibi substantiam panis & vini, quod tamen postea in Concilio Romano sub Gregorio VII. negare coactus est, & veram conversionem substantiae panis ac vini in corpus & sanguinem Christi agnoscere.

Tandem hinc etiam deducitur, salvâ fide sustineri non posse, quod tribuitur Ruperto, licet Suarez eum ab hoc errore vindicare conetur, nempe manere in Eucharistia substantiam panis, unitam tamen hypostaticè verbo, ac proinde sicut

V.

Malè dicit Durandus manere materiam panis unitam animæ Christi.

VI.

Aliud inconueniens quod ex hac Durandi sententiâ nascitur.

VII.

Non rectè etiam Cæcetanus dicit rationem aliquam entis vel substantiae, quæ erat in pane, manere in Eucharistia.

VIII.

Post consecrationem non manet panis substantia.

IX.

Multo minus manet in Eucharistia existentia panis.

X.

Lutheri hæresis, qui panem simul cum Christo in Eucharistia existere aiebat.

XI.

Non rectè Rupertus dicit manere in Eucharistia substantiam panis.



TOM. II.

stantiam panis, ubi iam tamen hypostaticè verbo.

XII. Hunc errorem optimè confutavit Algerus, qui eodem cum Ruperto tempore floruit.

XIII. Rejicitur ulterius hic Impanationis error ex illis Christi

sicut semel fuit pro nobis verbum incarnatum, ita docet hic Auctor sapius esse Impanatum: unde Bellarminus libro tertio de Eucharistiâ, capite undecimo, ait Rupertum fuisse primum auctorem erroris de Impanatione per unionem hypostaticam.

Hunc errorem, sicut & alios de Eucharistiâ eo tempore exortos acutissimè refutavit Algerus, qui eodem tempore cum Ruperto vixit, ut notat ibidem Bellarminus, & contra eum est primò, nam hæc doctrina expressè est contra Tridentinum sessionem decima-tertiâ, canone secundo, ubi sic habet: Si quis dixerit, in Sacro-sancto Eucharistiâ Sacramento remanere substantiam panis & vini, unâ cum corpore & sanguine Domini nostri JESU CHRISTI, negaveritq; mirabilem illam & singularem conversionem totius substantiæ panis in corpus, & totius substantiæ vini in sanguinem, manentibus duntaxat speciebus panis & vini; anathema sit: in hac vero Ruperti sententiâ manet substantia panis unita hypostaticè verbo, & consequenter non conversa in corpus Christi, ergo.

Secundò contra illum est; Christus enim Joannis sexto ait: Panis quem ego dabo, caro mea est, unde licet in hac sententiâ dici possit panis corpus Christi, id est corpus unitum verbo, non tamen caro Christi, nam propter solam unionem

panis cum carne, in eadem substantiâ non potest panis dici caro, sicut nec verè dici potest corpus Christi est anima, licet uniat in eodem supposito, cujus ratio est, quia prædicationes quæ fiunt per communicationem idiomatum, solum dicuntur de supposito, partes autem non sunt supposito.

Tertio, Mathæi vigesimo sexto dicit Christus: Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur; unde Patres omnes asserunt in Eucharistiâ dari nobis corpus Christi carneum sumptum de Virgine, & verba quod pro hominibus fuit affixum Cruci, & versum à Virgine, quod; pro hominibus fuit affixum cruci.

Deinde, ut optimè notat Bellarminus citatus, nulla urgens ratio est, cur verbum uniat se hypostaticè pani, cum tamen secundum Patres & Theologos, gravissima requiratur causa, ut Deus naturæ ulli creatæ, etiam Angelicæ hoc modo uniat. Præterea cum unio hypostatica sit res in se adeo excellens, & donum omnium maximum, non est verisimile de novo toties diebus singulis fieri.

## DISPUTATIO SEPTUAGESIMA QUINTA.

### De Sacramentali præsentia Christi in Eucharistiâ.

**E**ANDEM rem non definitivè tantum; hoc enim fide certum est ex mysterio Eucharistiæ, sed etiam circumscriptivè poni posse in duobus locis, latè ostendi Disputatione trigesima-quintâ Physicorum, dum de ubicatione, neque hoc loco de eâ re quidquam adjiciam, cum quæstio sit Philosophica, & in Philosophia discussa.

#### SECTIO PRIMA.

##### Quâ ratione existat Christus in hostiâ consecratâ.

I. Circa modum quo Christus sub panis & vini speciebus in hoc Sacramento existit, non parva est



EXPLICATIS terminis à quo & ad quem transsubstantiationis in hoc mysterio, dum per eam constituitur Christus sub panis & vini speciebus, destructâ utriusque substantiâ, aliisque circa hanc conversionem difficultatibus expeditis, nunc de præsentia ipsâ Christi sub speciebus, modòque

existendi ejus dicendum; qua in re non parva est inter Theologos dissensio, opinionumque varias inter se dissentio. Quid mihi verisimilius videtur, hac sectione declarabo.

Supponendum in primis tanquam certum, præsentiam hanc, quam habet Christus in Sacramento diversissimæ rationis esse à præsentia illâ quam habet extra Sacramentum; primò enim, hac non obstante penetrat Christus cum speciebus panis & vini, quod præsentia ejus naturali non competit. Deinde, ejusmodi est hæc præsentia, ut non solum non adimat penetrationem corporis Christi cum quantitate, sed nec ipsarum partium corporis Christi inter se, ut postea videbimus. II. Præsentia quam habet in Eucharistiâ, diversissima ratio est à præsentia quam habet extra Sacramentum.

Totum